



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

De Gvbernatione Rei familiaris. Pars Secunda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Ha secretò subsequetur; tribus campanarum ictibus Angelicam salutationem ter dicendam esse significet.

Vespertinae orationi, cum neque Illustrissimum Cardinalem; neque alium praesulem, aliumve praestanti dignitate virum adesse in oratorio contingeret; tum librum, aspergillum, & vasculum a quoque benedictae illi afferat, qui ex caetero praestantior fuerit.

Cum Illustrissimus Dominus in coenaculo non aderit, nec praesul alius, alia ve insignis persona; ad vtranque mensam ipse legat.

A prandio statim prima mensa confecta, in oratorio praesul sit, ut Litanis enunciandis, & Vesperarum & Completorii officijs persolvendis vna cum alijs intersit. Quotidie summo mane, cum Reuerendissimus Archiepiscopus domi aderit, Praesulum oratorij conveniat, a quo sane perquiret, num ipse Dominus in oratorio vel Ecclesia maiori, vel alia sacrum sit facturus; ut vel oratorium intruere, vel sacram suppellectilem aliò deferre possit, quò ille est iturus.

Id ipsum praesul, cum apud eundem Archiepiscopum Praesul aliquis hospitabitur. Cum sermonem, concionem ve in oratorio cum clero Reuerendissimus Archiepiscopus erit habiturus, subsellia quae decet ratione disponenda curabit.

Verum tum quoque cum Reuerendissimus Archiepiscopus aberit, reclusum mane oratorium & Altare de more instructum quotidie asseruabit, ut si qui sunt Sacerdotes domestici, qui ibidem sint celebraturi, ipsis pateat aditus, & suum tribuat officium.

Quibus hebdomadae diebus Metropolitanus Theologus conscientiae casus in oratorio explicaturus erit, stata hora adsit, signoque campanulae convenientem Clerum in oratorio conuocet.

Cum ad Matutinum officium, caeterasque horas canonicas, & Litanias item persolvendas, stas horis in oratorium conueniet familia; tum canistrum statim arripiat copia libellorum refertum, quos officiola Beatae Virginis Mariae appellant, eorum item in quibus Litaniae perscriptae sunt; quorum singulis singulos per sua quaeque subsellia distribuatur, quos

deinceps omnes, vbi ad staem ventum erit, asseruandos colligat.

Tum rursus quoque, cum vnaquaque sexta feria eidem familiae ad disciplinam exercendam flagella erunt distribuenda, eadem quippe ratione se gerat.

DE GVBERNATIONE Rei familiaris.

Pars Secunda.

Familia omnis, cuiusvis gradus existat, in vnum ac eundem locum, cui nomen coenaculi datur, ad cibum capescendum decenter conueniat.

Quia verò totum non capiet vnus idemque & eodem tempore locus vtriusque familiae conuentum, prima secundaque instruetur mensa; ut qui primae minores possunt, secundae accumbant mensae.

Antequam quisquam discumbat cibum capturus, mane & vespere benedicat is, qui dignitate est praestantior: qui post epulas etiam Deo gratias agat. Tum quoque dum benedicitur, & gratiae aguntur, respondeant clerici, laicique omnes.

Cum verò aderit Reuerendissimus Archiepiscopus, a digniori Canonico Ordinario Tabella deferatur, in qua variegata notata benedictionis formulae pro temporum anni ratione. Idemque fiat, si personam aliam ecclesiastica dignitate insignem adesse contigerit.

Quoties Reuerendissimus Archiepiscopus aut Praesul alius tum aderit in coenaculo, Praepositus, vel Vicarius, vel praestantior alter ex ordine (praeter Vicarios, caeterosque Tribunalis Officiales) assistat mensae; cuius erit munus, mensas circumcirca prospicere, & singulos obseruare accumbentes, ut cibos maturè afferri, & quae illis praeterea opus esse viderit, apponi curet.

Per totum edendi tempus tum mane tum vespere, si nullus ex Seminario venerit adolescens concionem aliquam aut orationem latinam habiturus, lectio sacrorum librorum adhibeatur: primum verò legatur vnum ex sacris Bibliis caput; post, alterum ex Martyrologio, quod ad diem sequentem pertineat; demum aliquod ex pio libro aliquo, qui Italico

R r a ser-

sermone sit conscriptus.

Vbi Reuerendissimus Archiepiscopus, aut alius Præsul interfuerit, vnus ex cubicularijs sit is qui legat, aut alius ex familia præcipuus.

Alias verò Clericus oratorij mane Vesperique ad vtraque mensam legat.

Ille verò qui ex Seminario ad concionandum venerit, si quidem prius finem fecerit dicendi, quam ab edendo cessatum sit, librum spiritualem aliquem à præfecto spiritali eligendum legendo ad finem vsque mensæ prosequatur.

Inter edendum, concionanti vel legenti silentium præbeant conuiuæ; vt non solum corporis cibo, sed etiam epulis animæ recreari possint.

Quoniam verò semper hospitem habenda ratio erit, vt debiti illis à domesticis præbeantur honores, propterea Vicario Generali alicuius Episcopi in cœnaculo come suo Vicarius domus Generalis locum concedet in accubitu.

Quòd si Canonicus item adierit aliquis superiorem pariter concedet illi locum, Canonici ordinarij.

Quam quidem rationem in paribus honorandis semper & vbiq; seruare decebit. Viris eiusmodi magnam aliquam personam sustentibus, siue in superiori conclaui, siue in cœnaculo discumbant, cubicularij deferuiant à magistro cubiculi delecti.

Vestitus.

Familia omnis domi & foris mediocri atque decoro vestitu sit contenta; qui neque studiosus sit quæsitus, neque nimis abiectus, neq; vllum argenti, aut auri, aut sericæ materiæ ornamentum habeat. Fugiat omnes vestium, calceorum, aut crepidarum discessiones. caueat à turpidis dissectisque caligis, & à crispo indusiorum collari. sit habitus domesticorum omnium simplex, laneus, & nigri solum coloris, & demum, qui homines verè Ecclesiæ deditos, Deiq; ministros monstret; nisi fortasse alium colorem dignitatis gradus postulauerit. Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cæteri que Clerici, habitum gerant non affectatum, non sordidum, superpellicea apprimè munda, non studiosè elaborata. duabus incedant induti vestibus talarijs, neq; sine his vnquam aut domi es-

se, aut foras egredi liceat. si tamen iter faciendum sit, contractiore habitu, sed simplici, & homini religioso congruo vti, minimè prohibentur.

Nemo ex eis breuiorem togam (vulgè mantelletum vocant) nisi illi dignitatis ratione conuenerit, ferre audeat; neque pallium, ferrarolum vulgè dictum, nisi per pluias: sed neque tam eo absque talarj tunica vti fas sit.

Nemo item ex eisdem catenam auream ex collo suspensam, aut monilia in brachijs ferat, aut in digito anulum; exceptis ijs, quibus propter dignitatis gradum iure concessus est anulus.

Serui pallium, siue ferrarolum induant; neque familiæ adscribantur, priusquam ad normam præscriptam sint induti, deq; habitu, moribus, & ætate à Præposito, seu Vicario probationè obtinuerint.

Nullus ex familia nec armis certare, nec chartis lusorijs, aut talis, aut pila maiorj, aut alio eiusmodi indecoro ludij genere ludere, ludentesve spectare, nec choreas exercere, nec personatus incedere, nec venationi, fabulis, comedijs, alijsve histrionum impuris actionibus vacare audeat.

Rerum nouarum curiositas fugiatur; vitentur pariter sermones dissolutiores, libri scurriles vel impuri, profana cantiones, delicioseque modulationes.

Nemo conuiujs sæcularium hominum interfit; aut ad bibendum quenquam incitet, aut ad cauponam, nisi itineris necessitate coactus eat.

Idque cum alicui acciderit, tum ne vnà cum mulieribus discumbat, omnino caueat.

Nemo in ianuis domus, aut commoretur, aut ambulet: frequetem sæcularium hominum consuetudinem omnes fugiatis multoque etiam magis a domibus eorum abstineant.

Ætatis tempore nemo post vigesimam tertiam horam extra domum maneat, hyeme verò post datum salutationis Angelicæ signum: quòd si quis legitimis impeditus de causis, præscriptum temporis spatium præterierit, apud Præpositum, aut Vicarium facti rationem reddat.

Vicarij nullum munus, ne esculentum quidem, poculentumve, etiam si exigui

Arms, ludos
spectacula,
& huiusmo-
di cauant.

De Vestitu
vicarij
& huiusmo-
di.

fit pretii, neque à Cancellario, neque à Notariis, neque à domesticorum quocumque, neque ab litigantibus, aliisve apud se causas agentibus acturisve aliquando accipiant.

Hoc idem perpetuo obseruent Visitatores, scribæ, Notariisque.

Illud etiam obseruent, vt seruos habeant pios, beneque institutos, qui habitu & consuetudine, disciplinæ domus respondeant.

Ac quoniam Vicarii, & qui publico funguntur officio, præcipua pars censentur esse domus; idcirco vt vnus modi suiq; similis perseueret disciplina, meridiana vespertinaq; orationi, & cæteris spiritalibus exercitiis interesse studeant.

Cum item prandii vel cœnæ campanæ sono dabitur signum, ad primam mensam venire, vel certè impediti, ad secundam contendant; ac propterea quocumque tempore enitantur, vt per quartam saltem horæ partem ante primam mensam quiescant negotia, claudaturque audientia locus.

Quare vt tollatur incommoda, quæ propter publicas audientias euenire solent, quæ quidem tum ob sui tarditatem disciplinam domus sæpius perturbât, tum verò præterea litigatoribus & clientibus propter sui incertitudinem officium; pro temporum varietate, certa huiusmodi omnibus Tribunalibus communis audientia hora decernatur: videlicet à Paschate vsque ad Calend. Septembris matutino tempore, hora duodecima, vespertino, vigesima prima; à Calend. Septembris vsque ad Calen. Nouembris, matutino tempore hora decima quinta, vespertino vigesima secunda; à Calend. Nouembris vsque ad Pascha, matutino tempore, hora decima sexta cum dimidia, vespertino, vigesima secunda.

Vicarii item, cum rerum gerendarum ratione Illustrissimum Cardinalem conuenire cupiunt, statutam eligant pomeridianam horam, neque nisi à magistro cubiculi vocati, accedant.

Horæ autem meridiana audientia ita partitæ seruentur. prima dabitur his, qui à secretis sunt propter literarum expeditionem: secunda signaturæ Cancellariæ; tertia Vicario generali, Cri-

minali item, & Ciuili.

Quod si rem aliquam contingat celeri indigere expeditione, tum schedulam obfirmatam ad Illustrissimum Dominum mittant, paucis rei seriem exponentes. si quid verò sit, quod literis committendum esse non existiment; audientiam petant.

Visitatores, & Auditores, quo tempore Illustrissimus Dominus audientia incumbit, interesse, tum propter rerum gerendarum facilitatem, tum propter mandatorum acceptionem, studeant, quantum possunt.

Nemo ex familia Vicario Ciuili, vel Criminali, aut Fiscali, aut Notariis, aut Visitatoribus causam vllam commendet.

Vicarii, & Visitatores neminem seruorum scribarumque suorum permittant causas apud se procurare, vel commendare, aut rem vllam, etiam vltro datam accipere, siue propter literas per eos etiam priuatim scriptas, siue ob res alias; atque nè per eos secreta scripturarum negotiorumve manifesta fiant, inuigilent.

Nemo præterea coram Iudice seculari absque Illustrissimi Cardinalis venia tanquam causidicus vel patronus causam vllius agat, aut vllius Principis procurator sit, alicuiusve tutelam suscipiat, aut negotiationibus se immisceat, aut in mercaturis se medium interponat, aut aliena prædia conducatur.

Quando idem Illustrissimus Cardinalis foras prodibit, sectentur eum nobiles domestici omnes, præter Vicarium Generalem, Ciuilemque, ac Criminalem, & præter Fiscalem, & eos qui alicuius Ecclesiæ residentia sunt adiecti.

Quare à signo campanæ itatim præsto sint ante Illustrissimi Cardinalis cubiculum, eum, quocumque iuerit, comitaturi: præeantque omnes, aut equo insidentes, aut pedibus iter facientes, siue per urbem, siue extra urbem Illustrissimum Dominum ire contigerit, præter illos, qui dignitate sunt insignes, qui illum à tergo comitabuntur.

Hospites in ædibus Illustrissimi Cardinalis commorantes vnus tantum è familia visitet ab eo delectus.

Qui Archiepiscopum comitentur.

Quomodo se gerant cum hospitibus.

R. 3 Cum

Cum aliquis non contemnenda existimationis in hisce rebus prandebit, aut cenabit; qui ex familia illi in mensa proxime acumbet, curam suscipiat illius officii gratia ad coenaculum comitandi, suoque in loco sistendi.

In cubiculo
privatim ci-
bum ne capi-
ant.

Caueat unusquisque, ne in suo cubiculo privatim cibum capiat; multoque etiam magis ne foris.

Quod si quando cupiam in suo cubiculo cibum capere opus sit; Praepositum domus, aut Vicarium de hoc commonefaciat. si vero iusta de causa alicui foris prandendum aut cenandum sit, ab eodem Praeposito istud faciendi veniam petat.

Que genera-
tum cauat.

Suo quisque eandem muneri diligenter se dateque operam naudet; ne quid tumultus in familia excitent, enixe caueat omnes: nihil omnino dicant, faciantve, quod contra bonos mores, alicuiusve existimationem sit; nemini denique risus aut scandali occasionem pariant.

De Praeposito.

Praepositi munus sit, curam gerere omnium personarum, officiorum, negotiorum, & rerum domesticarum; nihilque permittere, sine consilio & consensu suo fieri, aut innovari.

Interveniat omnibus deliberationibus de victu parando, de redditibus, & de sumptibus faciendis; & a suo Vicario crebro cogitur fiat, de ratione ac diligentia quam adhibet in rationibus atque expensis domesticis cognoscendis.

Bius erit, utriusque familiae superioris atque inferioris necessitates diligenter cognoscere, & unicuique prospicere pro edificatione personae, & magnitudine rei; & saluis domus institutis omni charitate satis omnibus in omni re facere.

Si quis, propter manifestam corporis infirmitatem, communibus cibis uti non poterit, curet, ut pro ipsius conditione & necessitate, quanta fieri poterit charitate tractetur.

Adhibeat summam diligentiam, ut domestica disciplina seruetur; ut unusquisque munere suo diligenter fungatur; atque in primis famulos in officio contineat; in corrigendis erratis utatur circumspicione, neque citra casum necessi-

tatis severitatem adhibeat.

Curet, ne vlla scheda, quae ad expensas domesticas pertineat, a supputatore admittatur, nisi eam ipse prius recognoverit, & subscripserit: atque idcirco in pretio rerumque aestimatione, hominum in hoc genere peritorum consilio utatur. Curet, ut ministris, & famulis, itemque officialibus, reliquis stipendium & merces suo cuique tempore, quantum fieri poterit, persoluantur.

Cum ad ipsum deferretur mandata a creditoribus domus subscribenda, ea quamprimum expediat; curetque, ne creditoribus offensionis materiam praebet, vel domus existimationem nomenque imminuat.

Cuiusque anni principio accipiat a supputatore rationes omnes reddituum, atque expensarum, tum Archiepiscopatus, tum Patrimonii, quas ubi diligenter recognoverit, earum summam Illustrissimo Domino tradat.

Si quem de familia inferiori esse acceperit mali exempli, & de cuius emendatione desperetur, eum domo eiciat.

Quod si quid in familia superiori etiam animadvertent, quod vel scandalum asferre, vel labem aspergere domui possit, ad Illustrissimum Dominum referat.

Attendat diligenter atque obseruet familiae praesertim superioris mores atque actiones, & in suo cuiusque officio diligentiam, ut statum familiae Illustrissimo Domino certo significare possit; ab eo cognosci possint boni & necessarii, contra minus boni atque idonei ad eius famulatum; ut alteri excitentur ad progressum in omni virtute, alteri ad mores emendandos.

Singulis hebdomadis congregationem faciat in suis aedibus, de rebus domesticis, ut si quid opus erit, statueret possit.

In congregationem adhibeat Vicarium, Oeconomum, Praefectum spiritalem, Magistrum cubiculi, Praefectum stabuli. Vitet omnem singularitatem; atque ita se gerat, ut ipsius vita omnibus exemplo esse possit.

Curet singulis mensibus, vniuersalia capitula, quae totius familiae progressum spiritalem, & moralem viuendi rationem complectuntur, in coenaculo legi.

Adem

Eadem omnibus, qui in hanc ipsam domum recipiuntur, siue de superiori siue de inferiori familia sint, initio statim perlegenda tradat; ac praeterea quae ad vniuersumque officium pertinent, si Praefecti vel Ministri fuerint; vt sciat quilibet eorum, quo pacto in rebus sui officij gerere se debeat.

Homines matrimonio coniunctos, cuiuscumque sint conditionis, tanquam ab huiusmodi vitae instituto alienos, vel rei familiaris inuiles, ad officia domus nullo pacto admittat.

Ne famulum quempiam in familiam adscribat, de quo sufficentem probationem de vita & moribus non habeat, qui item ad praescriptum domus vestitus non sit.

Officiales, quos ad domestica munera obeunda domi habere necesse est, viros bonos, peritos, recteque instructos cognitione rerum ad sui officij statum pertinentium deligat: nullum propterea horum, quod ad praescriptas artinet conditiones in familiam adscribat, quorum bonum testimonium non habeat.

Quotannis Tabellam conficiat, in qua eorum nomina distinctim ponantur, quibus & ligna per hyemem ad calefaciendum, & candelae per annum erunt impertiendae, atque vitrarumque rerum portionem item, quae vnicuique danda erit, praescribat.

Curet vt in duobus cubiculis superioris conclauis accedatur ignis per hyemem; quorum vnus cubicularis, alter subcubicularis, & seruis a pedibus, & relique etiam familiae vsu: sit: atque inferior item pareatur eidem ignis per idem tempus paulo ante prandiu & coenam, ad quem calefiat familia omnis, priusquam ingre diatur coenaculum.

Praesulibus atque viris insignibus hospitio receptis, e superiori familia quempiam ab Illustrissimo Domino eligendum designet, qui illorum curam gerat, eos affectetur, & de iis omnibus, quae opus fore intellexerit, mature prouideat. Medicis quoque domus, physico scilicet & chirurgo mercedem constituat congruentem, quam duobus anni temporibus persolui curet.

Praeterea vero, quae de coenaculi disciplina, & de hospitiu acceptione subdum

tur; exacte diligenterque seruari curet. Coenaculum erit mensis circume circa regulari forma cinctum; atque ab altera parietis tantum parte discumbetur.

Cibi, non integri, sed concisi apponantur; & conuiuarum vnicuique pro statu conditione portiones aequae impertiatur. Vinum item album nigrumque propinetur in mensa inferiori tamen familiae alterutrumque genus appositum sufficiat.

Superiori familiae saepe apponatur quadruplicis portio generis, nempe prima & postrema esca, iurulentum ferculum, & obsonium simplex elixum, vel tostum. At omnibus tamen Ieiuniorum temporibus duplex adhibebitur obsonij portio. Et inferiori quidem familiae licet alias tres tantum statuatur ferculorum species, tamen ipsi quoque statis Ieiuniorum diebus secunda obsonij portio amplius erit adhibenda.

Cum adierint hospites, viri praesertim Ecclesiasticae dignitatis, vel alioqui honorum gradibus ornatissimi, gemina obsoniorum; prima item vel postrema escae portio superapposenda erit.

At vero quando item magni Praesules, & viri Principes, aut alioqui dignitatibus insignes erunt discumbentes, vt illorum vel statui, vel consuetudini, vel stomacho indulgeatur, triplicem ferculorum cuiusque generis portionem apponi licebit.

Atque primorum quidem & postremorum ciborum ea ratio habeatur, vt pro stomachis imbecillioribus vnus saltem inter eos coctus pareatur, & valetudini magis consentaneus: iurulenti quoque ferculi alterum genus paratum sit pro his, quibus fortasse commune appositum minus probabitur.

Cum in conclauis superiore Praesules viri, Principesve, vel alij dignitate insignes accumbent, illis integra, non concisa dapes apponentur.

Vinum item non de more Coenaculi sistetur in mensa, sed penus Vinaria loco solito parabitur; non tamen ferculorum numerus praescriptus ratione vlla erit augendus.

Quod si qua ex parte erit excedendum, circa primas tantum escas vel postremas aequalis condonetur excessus.

Cum viri eiusmodi dignitate insignes in conclaue superius comeluri conuenerint, circumcirca parietes mensæ quoque aptandæ erunt, vt à latere tantum parietis ex ritu cœnaculi consideant, & subsellia ipsa pannis erunt violaceis aut viridibus ornanda.

Quod ad cibos attinet, pretiosi quidem & nimium exquisiti elaboratiue, tum immoderato sumptu conquisiti fugiantur: quales essent leporum, perdicum, aliarumque eiusmodi ferarum & syluestrium auium, necnon omnia saccharo artificialiosè condita, bellaria, placentæ, pastilli osculenti instar dulciarii panis, ceteraque escatum lenocinia, Episcoporum mensis minimè congruentia.

Vina verò Principibus eiusmodi viris exhibenda, suis prægustanda poculatoribus tradantur; vt ex illorum palato potiora deligantur.

Quoties antistite seu magno Principe domi hospitante, vestitus nullus apparatus, siue conclauis in quo edatur, siue cubiculorum vbi dormitur, parietibus adhibeatur.

Mensæ tamen, tabulæ, tum conclauis, tum cubiculorum, tapetibus honorificè sint ornata; lecti quoque suis cincti conopœis, & peristromatibus circumducti: ostia etiam aulæis præclusa similibus. Atque huiusmodi quidem ornatum generâ, rubro colore, aut violaceo, aut viridi infecta erunt, neque vllis depicta figuris.

Id ipsam amplius erit cum hospitibus diligenter obseruandum, vt cum primùm fuerint excepti, aliqua præsertim auctoritate viri, prima vice sui commodi causa priuatim in cubiculo eius convenientia deserantur, mox in cœnaculum illi deducantur.

De Vicario.

Rerum, quas ad officium Præpositi pertinere præscripsimus, Vicarius executor esse maximè debet. ipsū enim decet, singula propius, diligentiusque curare, & circumspicere; atque in primis efficere, nè ministri orientur, sed in suo quisque munere exerceatur.

Inuiset sæpè cellam vinariam, prom-

ptuarium, vestiariū, culinam, stabulum; atque in primis famulorum curam gerat: secus enim semper malè illi habebuntur, ex quo existent querelæ quotidianæ, & famulorum mutationes.

Caveat, nè in mensam vel cibi malè olentes, vel indiligenter conditi, vel vitium corruptum inferatur.

Exigat tempestiue ab economo, ea quæ ad familiæ victum totius anni comparanda sunt. res enim suo tempore capta, & meliores sunt, & viliores.

Sed de summa rerum emendarum agat prius in congregatione rerum domesticarum.

Ergo ægros charitatem adhibeat, illos sæpè inuisit, eorumque necessitatibus cum corporis tum animi prospici curet; illudque persuasum habeat, cum his in vtroque homine malè actum iri, si ipse quidquæ de cura ac diligentia remittat. Amplius circa eos ipsos eam adhibeat cautionem, vt qui inferioris sunt familiaris, in valetudinarium à decubitu statim se conferant: ceteri verò in cubiculum inferius à Præposito eligendum descendant, quod & medicis & ægrorum curatori commodum sit.

Curam gerat externorum, efficiatque vt pro cuiusque conditione excipiantur atque tractentur.

Per diem sæpè, & noctu interdum, domum circumeat, atque circumspiciat, nè vel ludatu, vel quid aliud minus decens fiat.

Quotidie sub noctem librum dispensatoris recognoscat, & cum emptoris rationibus conferat, singulisque hebdomadis per se vel per alium rerum pretia cognoscat: vt intelligat, an emptor sese fideliter gerat.

Curet, vt sibi exploratum sit, quidquid vnaquæque cuppa vini capiat, & cum exhausta fuerit, videat, an capacitati illius expensum respondeat.

Tradat dispensatori cellæ vinariæ rationes, & ab eo rationes expensarū exigat. Habeat penes se indicem omnium vini generum, quæ in cellam vinariam importata sunt, & iustam illorum mensuram; vt ipsi constet suis temporibus, an satis ea summa sit ad familiæ victum, domusque necessitatem.

Habeat penes se indicem vestiarij, item- que rerum omnium domesticarum; item indicem ornamentorum atque apparatus oratorij; easque res omnes anno ver- tente recognoscat.

Loquatur sæpe cum ministris; vt ex ijs pleniorẽ notitiam sibi comparet re- rum, quæ ad ipsorum munus spectant.

Die Veneris sub vesperam emptorem ad se vocet, cum eoq; statuatur cibos, qui pro tempore per totam hebdomadam erunt adhibendi in singulis dies.

Conueniat cum mercatoribus de pretio rerum; vt cum Tabernario, de aromati- bus, saccharo, cereis, intortitijs, & alijs huius generis rebus; itemq; cum macel- lario de carnibus; & cum caseario de ca- seo, atque omnibus pinguedinum generi- bus, quæ ad familiæ victum pertinent.

Tubeat, emptorem codices habere sepa- ratos rationum, quas cum Mercatori- bus singulis ipse contraxerit: præterea his in codicibus res quasque perscribere ab iisdem Mercatoribus recepras; tempus item, vt diem, mensẽ, annum quo receptæ sunt; rerum ipsarum pa- riter vel pondus; demum quotiescun- que res domum perferentur, eosdem codices vnâ cum rebus ipsis dispensa- tori reddere.

Quoniam autem in rebus quæ ad phar- macopolam pertinet, varia ratione pec- cari, atque propterea maximum ærario domus damnum quotannis inferri con- tingit; cum præsertim nedũ medicamen- ta, sed gulæ quoque oblectamenta, & a domesticis pluribus, & ab exteris, item qui ad hanc ipsam domum diuertit, pro vniuscuiusque arbitrio nomine domus in dies accipiuntur; omnino horum vi- tiorum summa cautio sit, atque vna pro- uisio, vt pharmacopolam Vicarius cer- tiorem faciat, nihil illi expensum feren- dum, quod curatori ægrorum acceptum relatum non sit, atque prius in eius codi- cibus à medicis descriptum.

Cum notationem acceperit à Præfeto spiritali, eorum, qui spiritalibus exer- citationibus domus non interfuerunt, illis quorum excusationem non admisit, Architrachelino mandet, vt in pran- dio vel cœna portionem vnâ vel duas subtrahat pro culpa ratione.

Horas statutas & ad prandendum & ad cœnandum Præfeto cœnaculi pro tem- pore perscribat.

Quoniã ex veteri domus instituto, Cel- larius hoc præterea iniunctum onus ha- bet, vt pistori deseruiat ad panem conficiendum, quod quidem malè succedere vsu compertum est; cum propterea vel breui moriatur cellarius ipse, vel in gra- uissimos morbos sæpius incidat, dum excalefactus sudoreq; perfusus, è calido in frigidum & subterraneum locum de- scendit, vt suo muneri satisfaciat; illud propterea curet Vicarius, vt in locum cellarij alter substituatur, qui pistori ad panem conficiendum opem ferat.

In aduentu Præfulum & Principum vi- rorum, de victu tum in prandio tum in cœna parando, adhibito quoque in con- silium Magistro cubiculi & Architrachelino, quotidie deliberetur.

De Oeconomo.

Oconomus exactionibus reddituum Archiepiscopaliũ, & patrimonialium, & pensionum fideliter ac diligen- ter operam nauet, iuxta mandati ratio- nẽ, quod ab Illustriss. Domino accepit. Pari ratione litibus, conseruationibusq; iurium Mensæ, locationibus item, instau- rationibusque possessionum necessarijs sedulo incumbat.

Si quid tamen circa possessionum instau- rationem faciendum sit, nihil omnino agat absque Illustrissimi Domini consilio, à quo sumptum faciendi normam facultatemque accipiat.

Caueat item ab omni impensã, vel em- ptionis, vel fabricæ, vel alterius rei ge- neris, causa vtilitatis possessionibus in- ferendæ: sed rem omnem Illustrissimo Domino integram relinquat; qui pro rei necessitate, & temporis occasione, quid agendum deliberabit.

Prouideat statutis temporibus iuxta congregationis rerum domesticarum consultum, de his rebus quæ opus erunt domui, veluti de frumento, vino, oleo, lignis, feno, palea, auena, leguminibus, caseo, tela, candelis, & alijs huius gene- ris.

Quod tamen ad pretium harum rerum,

omnibus.

omnium attinet, nihil prorsus decernat, nisi re primùm cum Præposito communicata; cuius consilio reliquos item sumptus domesticos faciat.

Nihil prorsus vendat alienetve, quod ad rem familiarem, vel ad possessionum fructus pertineat, absque Præpositi consensu: pecuniam item nullam exigat, sed Thesaurario omnem persolui curet.

De Magistro Cubicali.

Magister Cubiculi, qui præ alijs Reuerendis Archiepiscopo adest, & cū his versatur quotidie, qui ipsum Dominum negotiorum causa adire cupiunt; sit disciplinæ omnis domesticæ apprime peritus, prudens, modestus, benivolus, & talis, ut omni Christianarum virtutum genere, & charitate præsertim, omnibus satisfaciatur; tum ab ipso præclarum quisq; sumere possit exemplum amoris, obseruantia, pietatis erga Archiepiscopum, & habeat quod imitari possit, ad bene beateque agendum.

Huius intererit, vltro citroque reuinciare, mandataque exequi, horis à Reuerendissimo Archiepiscopo statutis, qui eum etiam preces persoluet.

Sed in primis præcipue illi curæ sit, ipsa Archiepiscopi personæ vestes illi renouet, ac commutat stas diebus, eumq; commonefaciat de cōgregationum temporibus, domesticis officijs, & rebus eius modi alijs agendis.

Mane præsto sit, cū se Archiepiscopus vestiet, illiq; manibus extergendis linteam porrigat, & insigne super pectus. Campanulam pulsandā curabit, quod ad eius signū ceteri conueniant cubicularij. Pro sacri ordinis ratione Missæ seruiat assistendo uel aquam effundat manibus; abaco quoque assistat, cū Missa canitur pontificali more.

Cappam induat Dominum atq; exuat; pileum porrigat eidem, & excipiat; pallium quoque cū oportet.

Vestis extollat, cū scalas Archiepiscopus ascendit.

Domesticos commonefaciat, cū Dominus ipse prodire volet, idque signo campanulæ, quo ceteri conuenire, & illum comitari possint, quousque visum

fuerit oportere; equestre, vel pedes iter confecturum.

Hoc idem præstabit, cū Princeps aliquis, aut magnus Antistes adueniat, Archiepiscopum conuenturus, ut illi & obuiam prodire, & officii gratia commode affectari possint.

Omni modestia atque grauitate in consuetudinem se adiungat virorum, splendore nominis aut virtutis laude præstantium, qui Reuerendissimum Archiepiscopum allocuturi domum conueniunt, neque propter grauissimas Domini occupationes, ipsi statim optatus ad eum patere potest aditus.

Libris spiritualibus seu latino seu italico sermone conscriptis tabulas multas asseruet: ut si qui Archiepiscopum aduent, iocundo copiam lectionis fructu teneri possint.

Obseruabit, ut in cubiculo Reuerendissimi Archiepiscopi modestiam omnes & silentium adhibeant, & in illius conspectu nudo semper stent cubicularij capite, nisi secus Archiepiscopo circa quosdam videatur: ut plurimum autem audientia intersint.

Curet loca stas horis verenda, & excutiendum à sedibus puluerem, & ut ratio temporis fert, candelas mandat sustendas, & ignem extruendum.

Ad imperatos rerum euentus in cubiculo Reuerendissimi Archiepiscopi proximiori cubet.

Memorialium omnium quæ deferuntur curam habeat, illaque ut in manus veniant Archiepiscopi curet; tum visa in librum referat. cancellario deinde, seu eius coadiutori concedat; præter secretiora aliqua, quæ illi concedenda curabit, cui mandatum fuerit ab Archiepiscopo.

Subcubicularijs & famulis à pedibus mandata dabit, tum horum etiam qui à pedibus sunt, in obseruationis cubiculo binos cubare curabit.

Cū ad ipsius aures peruenerit, cognatum aliquem aut affinem, aut alioqui præstantem nobilitate virum Reuerendissimo Archiepiscopo charissimum, morbo correptum esse, de ijs illum faciat certiore. Quod sanè ipsum de domesticis quoque erit faciendum.

Ani-

Animaduvertat diligenter, vt hospites omnes domi bene accipiantur; qui statim, vt venerint, architriclinum, & veniarium moneat, vt de victu, & de cubiculis pro statu illorum decenter provideatur.

Equorum quoque, vel precipuam curam gerat, vt illi item bene habeantur; atq; cum ijs opus erit, senioribus, ac dignioribus meliores, & commodiores appetentur.

Præterea cum Reuerendis. Archiepiscopo ab Vrbe discedendum erit, ea omnia præparari curet, quæ ad iter conficiendum opus fore acceperit. Notationem item faciet eorum, qui vnâ erunt profecturi, eandemq; magistro stabuli transmittet, vt iusta equorum inter eos pro status ratione distributio fiat.

Tum quoque egredientem Archiepiscopum ab Vrbe, quatuor millia passuum saltim affectabitur, reuertenti itidem totidem obuiam procedet.

Si quando negotiorum causa domi manente Archiepiscopo, à cubiculo abesse rogatur, priusquam domo discedat, antiquiorem cubicularium substituatur, aut quem maluerit Archiepiscopus.

De Cubicularijs.

Cubicularij illud sciant, oportere se in omnibus actionibus prudentes esse, & omnia vitare, quæ dignitati Illustr. Domini, & disciplinæ domus offensionem aliquam præbere possunt.

Sit eorum habitus decretis diœcesanis conueniens: qui, verò in aliquo gradu positi sunt, beneficium nullum habentes, neque huic adscripti Ecclesiæ, Doctoris toga vti poterunt.

Cum ad cubiculum Illustris. Domini venient, suas habeant vestes; neque interiorum tantum, vel familiarem vestem induti prodire audeant.

Mane ad secundum Matutini officij signum ad antecubiculum vestiti conueniant, vt Diuinum officium vnâ cum Illustris. Domino recitent.

Diuino absoluto officio, eorum quilibet suo intentus officio incumbat; & qui Sacerdotes sunt, Missæ sacrum faciant, vt Domino seruire, cum tempus vestiendi

aderit, maturè possint.

Cum grandioris deinde campanæ sonus audietur, adsint omnes, & quidquid præterea est familiæ cubiculo deseruiatis; vt vestire, comitariq; Illustris. & Missæ sacrificio seruire valeant.

Tum Cubiculariorum vnus, qui dignior habeatur, cappam exuat: Interior alter sandalia induat: ceteri aquam dent manibus vicissim: Duo deinde ex dignioribus, qui sacerdotes sint, assistant, & horum præstantior libro, alter Calicis; tres alij superpelliceo induti seruiat: duo autem ex iunioribus officio acolutorum fungantur. Hic verò Magister ceremoniarum admonendus est, vt functiones fieri ab his, qui ad eos ordines sunt promoti, quorum propriæ illæ sunt, sedulo animaduvertat.

Cum extra oratorium, & Ecclesiam Metropolitanam Illustris. Dominus celebrabit, & aderunt nonnulli ex Canonicis Ordinarijs, ipsis cubicularij locum concedant, seruireq; permittant.

Quoties Illustris. Cardinalis more pontificali Missam celebrabit, ex cubicularijs quatuor sine superpelliceo assistant: abaco: cum aut processions, aut alterius muneris pontificalis occasio continget, duo: cum ille ipse sacris tantum aderit officijs, vnus: ceteri superpellicium induant.

Qui ex cubicularijs Sacerdotes sunt, aut in sacris constituti, crucem Domini ante ipsum Cardinalem ferant.

Orationi meridianæ vespertinæq; interfint cubicularij omnes, præter magistrum cubiculi, vel cubiculariū eius substitutum, cum eidem orationi Illustris. Cardinalis adesse non poterit.

Tempore publicæ audientiæ cubicularij presidi sint omnes, madata ab Illustris. Domino accepturi. Quod si audientia vltra prandij horam protrahatur, maneat Magister cubiculi cum cubiculario altero, & subcubiculario, reliqui pransum eant.

Cum Illustris. Dominus in cubiculo serit, ante cubiculum ingredi nullum patiantur absque licentia Magistri cubiculi, vel eius substituti.

Sciant enim eiusmodi locum reservatum esse; in eum propterea nullos nisi Prælatos,

latos & nobiles insignes debere introduci.

Mane ante signum campanę grandioris, quo tempore Illustrissimus Dominus exutus adhuc est, neque p̄latos in antecubiculum admittant; tum quoque caueant, nē mandata Illustrissimo Domino deferant, nisi ob vrgentes p̄nitentiariz casus. Quod ipsum sane vesperi quoq; seruandum erit, vbi in cubiculum Illustrissimus Dominus se receperit.

Non omnibus tamen cubiculariis concessum est, mādata exponere: illud enim Magistri cubiculi, vel alterius eius vicem gerentis proprium munus est: quare ad eos eant, si quid nunciandum erit. Quoties Illustrissimus Dominus domi erit, adsint omnes, p̄ter eos, quos abesse oportet de licentia ipsius Domini, negotiorum causa.

Sed tamen priusquam discedant, Magistrum cubiculi certiores faciant.

Dum in antecubiculo manebūt, fugiant otium legendo uel scribendo, occasiones item inanium sermonum; tum p̄sertim cum aderunt p̄lati & nobiles per sona: quos spiritualibus colloquijs oblectare pro ratione status debebunt, vel certe silentio reuereri, modestiam & obseruantiam p̄ferentes.

Si quando ægrotum aliquem inuisere, vel domum aliam ingredi alterius officii causa Illustrissimo Domino contigerit, tum sine cum mulieres aderunt, duo ex cubiculariis sacerdotes Dominū vbi que comitentur, & in quocunq; cubiculum ille iuerit, ipsi quoque, etiam non vocati, simul ingrediantur, neque à late re vnquam discedant.

Atque hi quoque p̄terea per noctem in antecubiculo perpetuò dormiant, vt sui Domini vita & actionum omnium, tum domi, tum foris testes esse possint.

Quoniam verò à domo Episcopali omnis superbię spiritus, omnisque ambitio procul esse debet; propterea ceteros omnes, seque inuicem cubicularij obseruare debebunt.

Adolescentes quidem, seniores & digniores, non pro ratione ætatis tantum, sed etiam gradus, & sacrorum ordinum, atque inter eos maximè magistrum cubiculi.

Cum Illustrissimus Cardinalis in cubiculo edet, nullo alio p̄sente p̄lato, vnus ex cubiculariis mensę seruiat, vna cum duobus saltem subcubiculariis.

At p̄sistentibus aliis p̄latis, vel insignibus viris, tot seruiant, quot satis esse magister cubiculi iudicauerit: ac p̄terea omnes epulas ferant aperto capite, & vnus sacro insignitus ordine legat. Cubicularius caudę ferendę seruiens, qui Sacerdos erit, maturę semper sacrę faciat, vt cum Illustrissimus Dominus in Ecclesiam maiorem est iturus, muneri suo satisfaciat.

Cubicularijs suos in antecubiculum seruos introducere nefas sit. Ipsi enim, cum illorum opera vti velint, exeant.

Cum Reuerendissimus Dominus per urbem eques gradietur, cubicularij quibus seruos habere concessum est, secum illos ducant.

Cum item per urbem idē Dominus iter faciat, vel equitando, vel pedibus ambulando, cubicularij p̄eant omnes; cauentes nē inter Illustrissimum Dominū & Sanctum Crucis vexillum se intromittant: subsequantur p̄lati, & qui dignitate Ecclesiastica orati sunt.

De Capellano.

Capellanus audito primo Matutini signo, ad cubiculum Reuerendissimi Archiepiscopi presto sit, vel preces Matutinas cum illo persolaturus, veldem seruiturus in Ecclesiam ituro.

Huic sacellum curę sit, vestesq; quas in sacro Missę ministerio adhiberi oportet, ex ordine paratas habeat, nunquam verò Missę non intersit.

Si quādo ipsum oporteat celebrare, maturę p̄paret se: cum verò Reuerendissimus Archiepiscopus cappam gestat, ipse vestibus indutus violaceis, caudam gestaturus conueniat.

Si Missa Pontificali ritū cantetur, superpelliceum induat se, insulamque regat pro dignitate.

Eum decet p̄sente Reuerendissimo Archiepiscopo quouis loco inter comedendum legere.

Non in vrbe minus quā extra, crucem ferat, quoties iter equestre suscipitur

ad l.

ad lustrandam Diocesim, vel aliò Iurisdictione conficiendas.

Peras item seu sacculos gestet, in quibus adseruatur apparatus Missæ, si non aderit hominis alterius potestas.

Sacelli vestes & simillima que que ad eum vsum pertinentia sibi patet esse concredita. Quorum propterea potissimam habeat rationem, eaq; cum opus fuerit, consulto domus Præposito, curet instaurada. Nec huic quidem prodire liceat inconsulto cubiculi magistro, qui que ad rem pertinere videbuntur, aliter provideat.

De Præfecto stabuli.

Studeat, vt famuli sibi subiecti bene exercitati sint in omni muneris sui parte, vt equos diligenter curent, & quotidie peccant, & perfrient, & strigidi expoliant.

Sæpè ipsis tibus lauent, præsertim cum humidis temporibus luto frædantur; & vt suis horis potus ipsis præbeatur, & quantitas auent præscripta.

Ne vnquam sinat steruus in stabulo cumulari, nè sumi atque præ exhalationes inde sublata equorum oculos lædant.

Curet, vt hora ante lucem famuli expectent, & ad munus suum obeundum se accingant, ac primùm quidem stramen amoueant, tum lupatis adhibitis strigidi per dimidiam horam equos expoliant: ad hæc palea vel feno tibus, uenti & omnesq; corporis partes diligenter perfrient: postremò equis potum præbeant atque auenam. Tum sinum eiciant.

Curet, vt in stabulo præ ipsius magnitudine sit armarium capax, quòd quidem tot cellulis distinctum sit, quot opus erit. vnaquæq; autem cellula quatuor ephippia contineat.

Sub singulis cellulis constituantur capsula ad alia equorum ornamenta reponenda.

Itemque vnaquæque cellula suam clauem habeat, quam famulus cuius intererit, asseruet.

Debèt enim famuli habere res, quarum curam gerunt, separatas, & clauis obsignatas, nè vel inter se eas furentur, vel ab aliis ipsis furi ipiantur.

Cum ex itinere equi reuertentur per se, vel per alios inspiciat, si quid eis neces-

sarium desit; si pedes soleis bene muniti sint; si ephippium lacerum, aut inconcinnum; si capestris egeant, aut medicamentis: vt quàm primum ea comparari possint.

Si cui de familia equitandum sit, si equi domestici nulli erunt, conducticios pareret; tum nomen eius, cui equum tradet, & numerum dierum quibus vtetur, describat.

Habeat tres libros, in quibus separatim perscribat rationes, quas cum ephippiaro, & cum fabro ferrario, & cum habnarium artifice contrahit: in quibus præterea libris perscribet res omnes, quas recipit, & opus quod quisq; eorum facit. Studeat vt semper boni equi parentur.

Si qui vel morte, vel senio, vel infirmitate deficient, Præpositum certiozem faciat, at in locum malè affectorum & debiliu, emantur boni, & ad vsus domesticos accommodati.

Curet, vt fenestraz stabuli hyeme appetente tela, vel papiro diligenter obfignentur, noctu verò etiam ligneis foribus obfirmentur, atque etiam interdum ad Solem grauiorem arcendum.

Caueat, nè fenum in fenile inferatur, nisi bonum, & sine puluere.

Curet, vt vel in stabulo, vel ad ipsius latus famuli per noctem dormiant, ad eos casus, qui noctu sæpè euenire solent, & ob eam etiam causam magna laterna in medio stabulo continenter ardeat.

Paratam habeat magnam capsam ad auenam asseruandam, que in singulis hebdomadas consumetur. Eius capsæ clauem penes se habeat.

Cum verò mane & vespere auena inde prometur, ipse, vel alius, qui eius vices gerat, adfit.

Mane postquam equi comederint, lupata admoventur, ipsique ianuam versus conuertantur, duabus funibus hinc inde alligati.

Cum in stabulum equi deuenient sudore perfusi, curet eos contegi, & adhibitis lupatis alte alligari, nè humi procumbant, nè comedant, donec fuerint refrigerati.

Famulis scutè iniungat, vt cum aliquid acciderit, vel in ornamentis, vel ipsorum equorum corporibus, quod

reconcinnandum vel curandum sit, ipsi statim significetur.

Vere appropinquante, Præpositum admoneat de fœno, stramento, atque aëna in totum annum comparanda.

Et si quid earum rerum per annum defuerit, idem faciat.

De Præfecto Cœnaculi.

Præfecti quidem, priusquam familia cœnaculum ingrediatur, munus erit circumspicere rectè disposita sint omnia circa cœnaculum ipsum; atque prævidere num parata sint esui necessaria. Duobus vtatur famulis qui cœnaculi curam gerant, quiq; inter edendam familiam vtrique seruiant. Horum enim alter vnâ cum præfecto ipso familiam superioris ministrabit: circumferente enim famulo escas tabulæ superpositas, præfectus eas ordinatim distribuet: Inferiori quoque familiam famulus alter satisfaciet, qui asportando distribuendoq; officio fungetur vtroque.

Duobus campanarum signis familiam ad edendum conuocet, ea verò signa spatio semihoræ sint inter se distincta.

Ad primum campanarum signum ministros omnes culinæ & cœnaculo deseruientes ad cibum capescendum conuenire compellat, quò deinde primæ & secundæ mensæ commodè seruire possint.

Nullum quemquam in cœnaculum introducat, qui è familia non sit, nisi à Receptoribus domus vel Magistro cubiculi facultatem habeat.

Idud tamen prudenter agat, nè quis ab eo imprudenter lædatur.

Cœnaculi fores recludi ne sinat, neque è familia vllum introduci, nisi post datam secundæ campanarum signum: rursus cum post primam escam appositam iurulentumq; ferculum, tertium quoque obsonium apponetur, tum fores item claudat, neque amplius vllum ad cœnaculum adire nisi mensa confecta sinat.

Inferioris familiam nullum inter edendum colloqui patiatur. quòd si quis ab eo monitus à colloctionibus non desistat, tum præpositum statim Vicariumve commonesciat.

Cœnaculum mane & Vesperis à duobus

cœnaculi famulis diligentè vefri, qui squillas, puluerem & sordes omnes auferri, cultros præterea, furculas, cochlearia, ciatos, fialas, lauacrumq; optime ablui abstergiq; curet.

Cum prandij vel cœnæ tempore ijs qui culinæ inserviunt panem daturus est, ab Architricino primùm sibi afferri postulet numerum eorum, quibus panis dandus erit; quandoquidem illorum numerum modò augeri modò imminui sæpè contingit.

De Thesaurario.

Thesaurarius ne pecuniam suæ fidei concreditam ad suos vel aliorum vsus conuertat sine expressa licentia Illustrissimi Domini, neque diem debitum proferat sine eiusdem consensu librum accepti; atque expensæ sæpè inspiciat, & cum pecuniam uel recipit vel soluit, continuò nomen referat in rationes.

Habeat penès se indice omnium collectorum, & debitorum: quorum nomina & cognomina diligentè perscribet, vt cum tempus postulat, pecuniam ab eis recipere pro debiti solatione, & de eadem pecunia fidem illis rectè præscribere possit.

In exitu cuiusq; hebdomadæ, significet Præposito summam pecuniæ quam penès se habet, vt ipse possit ad eam rationem dirigere ad administrationem suam. Pecuniam dicatam vsibus ordinarijs seruet separatim ab ea, quæ ad extraordinarias expensas conferri debet.

Sæpè Illustrissimo Domino significet summam pecuniæ extraordinarijs vsibus dicatam, vt ipse norit quantos sumptus facere possit sine æris alieni necessitate. Ne pecunias negotietur, eas quæ sunt in sti ponderis pluris vendendo, quam in communi vsu positum est, aut permutando, neque aliorum pecunias depositas apud se habeat, nè inde confusio existat. A canonicis ordinarijs omnibus, qui domi aluntur, iustam eam pecuniæ portionem exigat, quæ in sumptus annuos pro vnoquoque illorum impenditur.

De Eleemosinario.

Eleemosinarius subueniat inopiarum hominum, & pauperum hominum

bulia

num in libro descriptorum, pro assignata portione & temporis ratione.

Quod ad huiusmodi elemosinæ genus attinet; ab ijs fidem scriptam accipiat, quib. illam impertietur, atq; de re omni anno vertete præposito ratione reddat. De reliquo, cum plus dimidio aurei numeri largiendum erit, Præpositum consulat.

Adolescentibus hominibus, & bene valentibus, qui labore & industria suam subleuare egestatem possunt, nihil det; at senibus, infirmis, debilibus, & his qui alioqui in manifesta egestate positi conspiciuntur, pro statu & necessitate congruenter subueniat.

Pueros ratione elemosinæ accipiendæ in domum, nullo pacto admittat, cum præsertim ea de causa apothecas, in quibus se exercent, aufugientes, impudentiæ, turpitudini, & ignauiæ operam det. Quotiescunque schedulam accipiet, in qua de paupertate alicuius hominis aut familiæ fides fiat à paracho vel à vicinis, priusquam aliquid largiatur, domum illius adeat, diligenter que de paupertate perquirat, cum multæ fraudes ab improbis, & immeritis hominibus in re huiusmodi strui soleant, quibus pauperes alios meritos defraudant, debitanam interceptantes elemosinam.

De Vestiario.

Vestiarius librum habeat, in quo ordine descripta sit supellex omnis domestica, quæ quidem & particulatim & capitulatim notanda erit.

Librum quoque alterum, in quo vniuscuiusque cubiculi seiunctim res perscribantur.

Iis quidem qui de familia sunt, cubacula cum imperientur, rerum quoque numerum & conditionem simul assignet ea lege, vt si quid pro tempore deperdatur, ipsis pereat.

Vestitus atque ornatus omnes Illustrissimi Domini, tum eos qui illius personam, tum qui Ecclesiam, tum qui cubacula attingunt, tueatur, custodiat, incolumesque seruet. Omnia, quæ rerum harum cura exposcit, sedulo tempestiueque præstet; maculas auferat; si quæ lacerata, reficiat, instaurare, si lacere,

vel indecoræ, vel senio confectæ erunt: Boreæ flanti interdum exponat, sæpè verò excutiat, flagellisque cædat, à tineis & muribus præseruet.

At nihil præterea horum vlli accommodare vlla ratione auit.

Pro diuersa dierum & functionum ratione colores habitusque; circa Illustrissimum Dominum variet, variatimque cubacula præparet, atque ad Ecclesiam, quò ille sacrum faciendi vel aliæ functionis gratia est iturus, congruentes transmittat ornatus.

Cum Illustris. Domini iter facturus est, omnia præparet, quæ opus erunt, illique illa tradet, cuius fidei committenda esse percipiet.

Cum occasio dabitur pontificiarum functionum, aliarumque; cæremoniarum Ecclesiasticarum, cæremoniarum atque cubiculi item Magistrum conueniet, ijsque; de rebus cum his ipsis communicet.

Cum Præpositi mandato supellectilem aliquam emi continget, rem omnem capitatim in libro vt dictum est, notet.

Præterea si quæ res in Vestiario defunt, quas emi opus erit, earum nomina in schedula notet, atq; ad Præpositum deferat. Si quid de rebus ad Vestiariam siue ad reliquam domus supellectilem spectantibus deperdi subripive aliquando contigerit, Præposito significet: quo item die, quoque euento amissum sublatumve illud sit, in librum referat.

Instaurationis domus, vt parietum, tectorum, rerum lignearum, aliarumque; huiusmodi curam gerat.

Hospitibus designata cubacula, munda, decenterque ornata seruet, vt cum venerint, parata & commoda, vel rebus saltem necessariis instructa comperiant.

Urgeat, efficiatque vt è domo, illiusque vel abditissimis partibus sordes omnes scopator eiiciat.

Vbi tempus supellectilem lineam mutandi fuerit, quæ domui multimodis vsui est, mundam ministris ne tradat, antequam sordidam recipiat.

Singulis hebdomadis quidquid lineæ materiæ impurum sordidumque domi fuerit, dealbatori tradat ad dealbandum; sed prius rei cuiusque tum numerum, tum conditionem perscribat, atq;

cum

cum restituatur, vtrunque perspiciat. Res omnes quæ notari solent, sigillo Illustrii. Do. signet, deuret autem extremas rerum nonnullarum partes, in quibus impressa nota rescari facile potest. Si lintea refarcienda erunt, aliæve linei generis, vnde ex rescissione numerum imminui necessarium sit, Vicario primum quid factum opus sit, communicet, atque vbi perfectum opus fuerit, quod de iusto numero imminutum erit, in librum referat. Tum præterea Vicarium certiore faciat, si quid propter ætustatem corruptum sit, atque de libro deleat. Sub discessum hospitem cubicula inuisat atque supellectilem numeret, demum cum abierint, claues recipiat. In vnoquoque cubiculo ad vsum hospitem deputato arcam seruet, sera, clauemque instructam, in qua lintea munda, cervicalia linea, mantilia, mappæ, candelabra, & quæ ad scribendas literas, & quæ ad caput curandum necessaria sunt, obfigentur.

Bis singulis hebdomadis, scilicet Dominica die, & feria quinta, pannos lineos qui canaculo v sui sunt, commutet, id est mundos sordidis substituat, atque verò etiam sæpius, cum hospites aderunt. Lintea item munda singulis sabbatis ad cubilia ornanda familiæ superiori exhibeat: inferiori aut familiæ satisfiet: si in singulos menses bis illa commutentur.

De Curatore ægrorum.

Curator ægrorum omni officio ac potius charitate domi infirmos prosequatur, valetudini eorum sedulo inferuiat, prudenterque prospiciat, maturè cum præcepta medicorum exequatur, tum medicamenta & cibaria offerat. Cum primum morbo correptus quis decumbit, Vicarium moneat atque Præfectum spiritalem. Postridie à decubitu Confessarium accersat, pridie tamen ægrotos moneat, vt ad confessionem rectè faciendam se componant. Illud verò maturius quoque efficiat, si forte inualescere morbus nimis videatur. Quod si quis à confessorè abhorreat, Præposito, & spiritali Præfecto significet.

Quotidie sub vesperum Vicario rationem reddat quo pacto se habeant infirmi, eorum necessitates adamussim exponat, schedulam deinde subiciendam exhibeat, in qua perscripta sint omnia, quibus infirmis ad præscriptum medicorum satisfaciendum erit, vt per illius schedulæ à Vicario subscriptæ traditionem, quæ opus erunt, à ministris accipere possit.

Quoties quis egrotabit, à valetudinario noctu caueat ne absit, lucernam præterea totam noctem accensam alleruet.

Duos penes se libros se habeat, in quibus medicamenta omnia separatim à Medicis domus describatur, in quorum quidem vno illa notentur, quæ ad pharmaciam, in altera verò, quæ ad chirurgiam pertinent. Præterea rem nullam, cuiuscunque generis sit, à pharmacopola accipiat, quæ in duobus libris scripta non deprehendantur.

De Ianitore.

Ianitor, qui etiam scopatoris officio fungetur, hyeme quidem duabus post horis noctis, æstate verò hora prima clauæ fores claudat, neminem quæquam ab eo tempore ingredi egredive patiat, præpositi vel Vicarij licentia. Præterea per æstiuum tempus vigesima tertia diei hora cancellos ante fores ipsas constitutos obfignet, obfignatosque ad præscriptam noctis horam custodiat. Interim exteris certè introeundi atque exeundi potestatem faciat, contra familiarium nullum absque Præposito vel Vicarij licentia egredi permittat. Domum à sordibus inquinatam omni cura studioque vindicet.

Post occasum solis lanternas omnes accendat, quæ pluribus dispositæ locis diuersas domus partes collustrant.

Diebus solennibus cum familia omnis domo abest diuinis intenta officiis, ipse domi maneat, diligenterque illam custodiat. Solent enim nefarii prædones sæpè huiusmodi nacti occasionem, vacuas hominibus domos diripere expilareque.

Ad ea omnia quæ opus erunt Vicario pro cubiculorum apparatu facilem promptamque quocunque tempore se præbeat.